



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1766**

**VD18 90118251**

§. 38. Apamiensis episcopatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

ciæ, Angliæque ex autoritate sua imperavit sub anathematis poena, nisi parent. Regi Romanorum illas indixere Archiepiscopus Rhegiensis, ac Senensis Episcopus: sed duo Cardinales Regibus Angliæ ac Franciæ illas non denunciabant, seu quia sperabant fore, ut eos ad aliquam pactionem inducerent; seu potius, quia eos ab illis abhorreere nimium videbant.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1295.

De S. XXXVIII.  
Apamiensis episcopatus.

Interim Papa Bonifacius Regem Philip-  
pum Pulchrum per litteras oravit, ut  
Apamiensem Abbatem & coenobium  
S. Antonini contra molitiones ac violen-  
tias Rogeri Comitis Fuxensis prote-  
geret. Haud multo post hanc abbatiam  
in episcopatum erexit. Tenebant eam  
Canonici Regulares: & sub annum  
788 condita erat in honorem S. Antoni-  
ni Martyris, cuius nec tempus constat  
nec historia. Satis est verisimile eum  
esse eundem, qui Apamiæ in Syria co-  
lebatur. Bonifacius in diplomate ere-  
cti huius episcopatus, quod 16 Septem-  
bris an. 1295 dabat, ita loquitur: Papa,  
qui totius gregis catholici supremus  
est pastor, qui a Domino plenitudinem  
potestatis accepit, & cui nemo non  
est

Rayn. n. 52.  
Hist. de  
Bearn. p. 785

Tillem. to. 4.  
v. 465. 719.  
Gall. Chr.  
t. I. p. 158.  
Hist. Bearn.  
p. 786.

B b 4



Sæcul. XIII. est obnoxius, diœceses interdum jungit,  
 A.C. 1295. nonnunquam dividit, pro ratione tempo-  
 rum & causarum. Consideravimus au-  
 tem Tolosanæ diœceseos amplitudinem  
 facere, ut Episcopus eam recognoscere,  
 ut deberet, nequeat magno animarum  
 damno, illiusque redditus esse tantos,  
 ut Episcopis pluribus sufficerent. Qua-  
 propter Papa Clemens IV. regionis sta-  
 tum callens, diœcesim Tolosanam dispartiri decreverat: & nos de consilio Cardinalium ac ex plenitudine potestatis nostræ urbem Apamiam in civitatem episcopalem ereximus: hanc jurisdictione Tolosani Episcopi, cuius in diœcesi fuerat, omnino exemptam esse, ac ei propinquum S. Martini templum, ubi corpus S. Antonini Martyris asservari dicitur, pro cathedrali servire volumus. Tum Apamiensis Episcopi redditus, ac diœceseos limites designat. Episcopum Tolosanum vel hujus Metropolitanum Archiepiscopum Narbonensem, aut Regem consensisse nullo verbo memorat: e contrario, siquis erectæ sedi novæ obfistat, cujuscunque sit dignitatis, illi anathema intentat. Primus Episcopus Apamiensis fuit Bernardus Sesselius ad S. Antoninum Abbas, cui Papa Bonifacius hunc detulit honorem: ac novæ cathedralis Ecclesiæ Canonici mansere Regulares, ut etiam hodie sunt.

*Gall. Chr.*  
 p. 162.

§. XXXIX.